

294

292

298

288

303

283

343

243

393

193

Ende

Anfang

283

Porro anno Domini 1188 dum Christiani conarentur et agonizarent pro dominico sepulchro et civitate sancta et pro tota terra sancta, Alexius Graecorum imperator in Constantinopoli dedit insulam Cretam Bonifacio, comiti Montisferrati, qui tunc erat dux exercitus domini per mare contra infideles, qui dum pecunia indiguis esset, vendidit insulam Venetis, pro qua magnam summam pecuniae accepit. Videntes autem Veneti, insulam ad merces et navigationes esse aptissimam, deliberaverunt in senatu, ut omnem negotiationem, quae Venetiis est, cum merciis transferrent in Cretam eamque cameram mercium, sicut iam Venetia est, facerent. Cum autem vota singulorum consulum recepta essent, inventae sunt non nisi duae voces plures partis illius, qui cameram negotiationum voluit esse Venetiis.

Porro Cretenses, uti Graecorum mos est, saepe conati sunt se a Venetorum jugo excutere, dignantes Latinis subesse. Sed Veneti oculati eos vi retinent. Unde anno Domini 1475 conspiratio gravis et periculosa in Creta orta est; nam Cretenses Turcis fidem dederunt, se transituros in eorum potestatem, si mitterent eis armatam classem, et arma suscepturos contra Latinos visa classe. Ut autem hoc nequam consilium Venetis innotuit, statim dux classis Venetiana cum 40 biremis armatis in insulam navigavit. Cretenses autem, videntes classem, putabant esse Turceam classem et ad arma concurrerunt, nomen Turcorum inclamaverunt et in urbis Candiae custodes saevierunt. Classis ergo portum ingressa pugiles armati de navibus in civitatem commotam et turbatam sunt ingressi et conspiratores omnes vincitos in classem eduxerunt eosque Venetias examinandos et puniendos miserunt. Turci vero paraverunt quidem classem, ut insulam caperent, sed audientes, classem Venetorum ibi esse, converterunt classem suam a mari Aegeo in Hellespontum, ad Propontidem navigantes in Euxinum pontum, qui est trans Bosporum, et urbem Capham Genuensibus abstulerunt. Haec urbs est magna et populosa, in septentrionali plaga in littore Euxini maris, ad merces aptissima, ab antiquo tempore christiana. Ibi sanctus Clemens relegatus habitavit et fontem per agni demonstrationem fodit et martyrium ibi complevit, et marmoreum templum angelicis manibus paratum in mari pro corpore ejus fuit. Ibi etiam S. Martinus papa, qui concilium

